

dendi quaestiones, vel propositas emendandi, prout adiuncta suaserint.

Actis ad Cancellariam H. S. Tribunalis mittendis attestatio addatur de fide huic testi habenda.

Et quo par est obsequio E. T. Revmam prosequor

N. Notarius

*addictissimus
N. Ponens*

CAPUT XXVI.

DE DOCUMENTIS IUDICIALIBUS

Can. 1819. — Documenta vim probandi in iudicio non habent, nisi originalia sint aut in exemplari authentico exhibita et penes tribunalis cancellariam deposita, exceptis documentis quae publici iuris sunt, ceu leges rite promulgatae.

Can. 1820. — Documenta in forma authentica sunt exhibenda et in iudicio deponenda, ut a iudice et ab adversario examinari possint.

1. Documenta seu instrumenta alia publica alia privata sunt. Ut sit publicum aliquod documentum requiritur ut confectum fuerit a notario, idest a persona quae a publica auctoritate constituta sit, et certis adhibitis sollemnitatibus. Huiusmodi instrumentum plenam facit probationem quoad partem dispositivam, tam pro contrahentibus, quam contra eos.

2. Documenta privata plenam faciunt probationem quando sunt authentica. Si non sint authentica, ut registra privatorum et epistolae, regulariter probant contra ipsum scribentem, si ab eodem recognita fuerint, non autem in favorem ipsius scribentis.

3. Instrumenta producenda sunt durante instructionis periodo, idest post litem contestatam usque ad conclusionem in causa. Non est autem necesse ut integra producantur sed illae particulae tantum quae vel actori ad suam intentionem, vel reo ad suam exceptionem probandam inserviunt. In causis matrimonialibus etiam fides de celebrato matrimonio per extensum producenda est.

CAPUT XXVII.

DE PRODUCTIONE DOCUMENTORUM

Can. 1824. — § 1. Si pars exhibere recuset documentum de iure producendum, quod ipsa fertur possidere, iudex, altera parte postulante, auditoque, si opus sit, promotore iustitiae vel vinculi defensore, interlocutoria sententia statuatur, an et quomodo eiusdem documentum exhibitio facienda sit.

§ 2. Parte parere recusante, iudicis est aestimare quanti haec recusatio facienda sit.

§ 3. Quod si pars documentum apud se esse neget, iudex poterit eam examini subiicere et ad iusiurandum de ea re praestandum adigere.

Documenta quae in iudicio vim probativam habent possunt esse sive publica, sive privata.

Sunt publica quae in can. 1813 describuntur, seu acta Summi Pontificis, Curiae romanae et Ordinariorum in exercitio suorum munerum forma authentica exarata; instrumenta a notariis ecclesiasticis confecta; acta iudicialia ecclesiastica; inscriptiones baptismi, confirmationis, ordinationis, professionis religiosae, matrimonii et mortis quae habentur in registis Curiae, vel paroeciae, vel religionis; item documenta civilia quae secundum uniuscuiusque loci leges ut publica iure censentur. Publicum instrumentum duplex est: protocollum vel transumptum.

Primum est summaria quaedam actus gesti adnotatio ex qua postea instrumentum in sollemnem formam redigitur unde etiam *abbreviatura* dicitur. Alterum est ipsummet instrumentum originale ex protocollo desumptum cum debitis sollemnitatibus confectum. Transcriptio transumpti dicitur copia.

Instrumentum ut publicum sit, requiritur, ut confectum fuerit a notario, et cum debitis sollemnitatibus, videlicet cum praemissione in proloquio invocationis divini nominis, nominis imperantis in societate, et anni suae dominationis, cum determinatione temporis et loci, et nominibus testium qui cum notario subscribere debent.

Sunt vero privata, litterae, contractus, testamenta, et scripta quaelibet a privatis confecta.

Documenta publica ut genuina praesumuntur, donec contrarium evincatur (can. 1814).

Documenta in forma authentica sunt exhibenda, et hinc opus est quod ut talia declarentur a cancellario episcopali vel a publico notario cum communi formula: *exemplar conforme originali existenti apud Curiam vel archicum parociale N. etc., ab infrascripto cancellario (vel notario) recognitum et sigillo obsignatum.*

Potest iudex decernere ut exhibeatur documentum originale sive ad instantiam partis, sive ex officio, praesertim si dubium exoriatum circa veritatem vel fidelitatem documentorum.

Impugnatio vel recognitio scripturae proponi potest in iudicio tum incidenter, tum ad instar causae principalis; hinc quaestio agitanda est, ut novus, separatus processus, sicut videre est quando sermo est de *causa incidentalis*.

Instrumentum publicum plenam facit probationem quoad partem dispositivam tam pro contrahentibus, quam contra eos, et probatio per publica instrumenta vocatur *probatio probata*; plena fides autem deneganda est iis, quae enunciatione seu narratione atque incidenter ponuntur in instrumento.

Plenam probationem quoque faciunt instrumenta privata authentica, immo etiam non authentica uti sunt e. g. cautiones parti a parte datae, rationes et registra privatorum, epistolae etc. quae regulariter probant contra ipsum scribentem, si ab eodem recognita fuerint, seu non legitime impugnata, non autem in favorem ipsius scribentis.

Instrumenta producenda sunt durante instructionis periodo i. e. post litem contestatam usque ad conclusionem in causa. Non est necesse ut integra producantur instrumenta sed particulae quae causae inserviunt.

Actor autem non potest cogere reum ad edendum instrumentum ab ipso reo non invocatum, quod tamen inserviret eidem actori ad probandam suam intentionem, exceptis instrumentis *communibus* sive actori sive reo, sed apud hunc retentis.

Iudex, quando pars recusat exhibere aliquod documentum, sententia interlocutoria vel decreto, an et quomodo documenti exhibitio facienda sit statuat hac formula:

Ex factorum narratione deducitur magnum argumentum ad veritatem dignoscendam consistere in iis quae in litteris (vel instrumentis,

vel registis) parociae N. inveniuntur, quaeque ad rectam iustitiae administrationem necessarium, quod in causa apud tribunal exhibeantur, reputamus. Cum autem pars... recuset haec documenta exhibere, praesenti decreto in originali vel exemplari authentico infra decem dies exhibenda decernimus, apud nostrum actuarium deponenda: et ad normam iuris partibus notificetur.

Datum.....

Actuarius N.

Iudex N.

CAPUT XXVIII.

DE PERITIS ET PERITORUM MANDATO

Can. 1792. — Peritorum opera utendum est quoties ex iuris vel iudicis praescripto eorum examen et votum requiritur ad factum aliquod comprobandum vel ad veram alicuius rei naturam dignoscendam.

Can. 1793. — § 1. Iudicis est peritos eligere vel designare.

§ 2. Hanc designationem in causis mere privatis iudex facere potest rogatu utriusque partis vel etiam alterutrius, altera tamen consentiente; in causis vero bonum publicum respicientibus, audito promotore iustitiae aut vinculi defensore.

§ 3. Prudenti iudicis arbitrio relinquitur unum pluresve peritos eligere pro causae natura et rei difficultate, nisi lex ipsa numerum peritorum praefiniat.

Can. 1799. — § 1. Iudex, attentis iis quae a litigantibus forte deducantur, omnia et singula capita decreto suo definiat circa quae periti opera versari debeat.

§ 2. Tempus intra quod examen perficiendum est et votum proferendum, si necessarium vel opportunum iudici videatur, potest ab ipso iudice praefiniri et etiam, auditis partibus, prorogari.

1. Iudex, antequam periti officium demandatum suscipiant, iusiurandum de munere fideliter adimplendo recipere debet, et

decretum emittit definiendo quae a perito sint agenda per singula capita et non aliter.

2. In scriptis relatio a peritis fieri debet, vel si faciant oretenus coram iudice, per notarium in scriptis statim redigi debet et subscribi a peritis, iudice et notario.

Non sufficit quod periti proferant conclusionem affirmativam vel negativam quaestionibus propositis, sed necessarium est quod etiam qua via et ratione processerint ad conclusiones et argumenta, quibus conclusiones innituntur, exponant. Si periti inter se discrepent, iudex peritiorem eligere potest.

3. In causis matrimonialibus non possunt eligi in peritos qui privatim coniuges inspexerint circa factum vel inconsummationis vel declarationis nullitatis, etiam ob amentiam, et duo periti eligendi sunt qui seorsim singuli inspectionem exequi debent.

4. Peracta relatione, periti, vel obstetrices vel matrona assistens, seorsim singuli a iudice interrogentur, secundum articulos a vinculi defensore antea concinnatos, quibus ipsi, praestito iuramento, respondeant (can. 1890-91).

Iudex peritum ex officio ita designet:

Iudex instructor (vel Officialis), audito vinculi defensore, decrevit: procedatur ad legalem inspectionem N. N. et ad hoc eligimus, prout praesenti decreto eliguntur in peritos N. N. et N. N.

Idque eis notificetur et moneantur ut die... mense... hora... se sistant in aedibus... via... ad inspectionem faciendam iuxta C. I. C., quod actori (vel convento) et vinculi defensori significetur.

N. actuarius

N. officialis

Peritus autem hac formula iuramentum praestet:

Ego N. deputatus in peritum ad inspectionem N. faciendam, iuro me commissum officium fideliter obitutum eaque omnia exquisitum et deducturum quae ad veritatem cognoscendam necessaria sunt, et tam in scripta relatione quam in orali interrogatorio omnia expositurum iuxta veritatem, necnon secretum servaturum. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

CAPUT XXIX.

DE ACCESSU IUDICIALI

Can. 1806. — Si ad controversiae locum iudex accedere atque ipsam rem controversam inspicere necessarium existimet, decreto id praestituat, quo ea quae in accessu praestanda sint, auditis partibus, summatim describat.

1. Accessus iudicialis est medium aptum instruendo processui et inservit iudici ad perpendendam vim ac valorem probationum. Iudex hunc accessum potest peragere per se, vel per suum delegatum, potest partes monere, testes adhibere etc. vel etiam ab istis omnibus se abstinere. Unde res omnino iudicio ac discretioni iudicis relinquitur.

2. Notarius tamen debet diligenter curare ut ex actis constet qua die, hora, recognitio facta sit, quae personae interfuerint, quae dicta sint, vel peracta vel a iudice decreta in ipso actu recognitionis. Instrumentum tum iudex, tum notarius subscribant.

Exemplum decreti super accessum iudiciale:

Cum ad clarius detegendam veritatem in causa de qua agitur, necessarium videatur ad controversiae locum accedere atque rem ipsam controversam inspicere, praesenti decreto disponimus ut die..... et hora..... vel personaliter vel per auditorem N. tanquam a me infra-scripto Officiali delegatum, comitante notario (et testibus et partibus) ad locum controversum inspiciendum procedatur, ut perpendatur vis et veritas depositionis testis N., in actis.

Datum etc.

Notarius N.

Officialis N.

CAPUT XXX.

DE TESTIMONIORUM EVULGATIONE

Can. 1782. — § 1. Cum partes aut earum procuratores examini non interfuerunt, testimonia statim post absolutum omnium testium examen poterunt, decreto iudicis, evulgari.

§ 2. Sed poterit iudex differre testimoniorum evulgationem in tempus quo cetera probationum capitula fuerint absoluta, si id e re existimet.

Can. 1983. — § 1. Publicato processu (in causis matrimonialibus), fas adhuc est partibus novos testes, ad normam tamen can. 1786, super diversis articulis inducere.

§ 2. Si vero testes iam excussi super iisdem articulis antea propositis denuo audiendi sint, servetur praescriptum can. 1781, integro iure defensoris vinculi opportunas proponendi exceptiones.

1. Quia causae matrimoniales numquam transeunt in rem iudicatam, novus testis potest induci ex fraude et subornatione, et hinc inductio fieri debet audita altera parte, remoto periculo fraudis, et requisito voto defensoris vinculi, et hoc iudex suo decreto definiat (can. 1786).

Testes vero qui iam auditi sint, et iterum, postulante parte, vel ex officio audiendi, poterunt ad examen vocari, si hoc necessarium vel utile iudex ducat, sed antequam acta seu testificationes publici iuris fiant et secluso periculo collusionis vel corruptelae (can. 1781).

2. Iudex potest admittere partes vel eorum procuratores ad assistendum depositionibus testium. Si adfuerunt necesse non est quod iudex decretum emittat de testimoniorum evulgatione. Si vero vel non semper, vel nunquam adfuerunt, tunc statim, absoluto examine, iudex decretum ferat.

Exemplum decreti:

Tribunal, excussione omnium testium peracta, cum neque partes neque eorum procuratores examini interfuerint, decernit praesenti

decreto evulgationem testimoniorum et ordinat actuario ut partes de hac evulgatione edoceat, ut si quid adhuc habeant producendum hoc faciant ante diem etc. hora etc.

Datum etc.

Actuarius N.

Officialis N.

CAPUT XXXI.

DE INTERVENTU TERTII

Can. 1852. — § 1. Is cuius interest, admitti potest ad interveniendum in causa in qualibet litis instantia.

§ 2. Sed ut admittatur, debet ante conclusionem in causa libellum iudici exhibere, in quo breviter de iure interveniendi ipsum edoceat.

§ 3. Qui intervenit in causa, admittendus est in eo statu in quo causa reperitur, assignato eidem brevi ac peremptorio termino ad probationes suas exhibendas, si causa ad periodum probatoriam pervenerit.

1. Is cuius interest debet tempore opportuno praesentare iudici libellum in quo exponat rationes pro suo iure interveniendi in causa.

2. Iudex vel tribunal collegiale, post examinatum libellum, decretum emittit de admissione vel non huius tertii in causa. Si decretum est pro admissione, in ipso determinandum est tempus peremptorium ad probationes exhibendas; expleto tempore, perimitur omne ius interveniendi, salvo praescripto can. 1853 in quo statuitur quod iudex potest etiam ex officio interventum tertii iubere.

Exemplum decreti admissionis interventi tertii:

In causa de qua agitur, nondum conclusione in causa statuta, Nobis exhibitus est libellus a N. N. qui Nos edocet de iure interveniendi, quia..... Perlectis rationibus quibus libellus innotuit, ipsum N. uti tertium ad interveniendum in causa, praesenti decreto admittimus in eo

statu in quo causa reperitur, assignantes spatium decem dierum ad probationes exhibendas, cum iam causa ad periodum probatariam pervenerit, admonentes quod, elapso inutiliter hoc temporis spatio, omne ius ad interveniendum perimatur.

Datum etc.

Actuarius N.

Officialis N.

CAPUT XXXII.

DE CAUSA INCIDENTALI IUDICIALI

Can. 1837. — Causa incidens habetur, quoties, incepto saltem per citationem iudicio, ab una ex partibus aut a promotore iustitiae vel vinculi defensore, si iudicio intersint, quaestio proponitur quae, tametsi libello, quo lis introducitur, non contineatur expresse, nihilominus ita ad causam pertinet ut resolvi plerumque debeat ante quaestionem principalem.

Can. 1840. — § 1. Utrum incidens quae excitetur quaestio, definienda sit iudicii forma servata, an mero decreto, iudex, attenda rei qualitate et gravitate, aestimet.

§ 2. Si causa incidens sit iudicialiter definienda, regulae, quoad eius fieri poterit, servandae sunt, quae in ordinariis iudiciis obtinent; curet tamen iudex ut dilationum termini sint quam maxime breves.

§ 3. Iudex in decreto quo, non servata iudicii forma, vel reiicit vel definit quaestionem incidentem, rationes quibus innititur, in iure et in facto breviter exponat.

1. Est causa praeiudicialis quando cognitio unius influit in aliam, est vero incidentalis quando cognitio unius incidat in aliam: his in casibus hae causae sunt definiendae ante causam principalem. Unde prius tractanda est causa status legitimae nativitatis, quam haereditatis, prius causa super matrimonio valide inito, quam super dote.

2. Iudex potest causam praeiudicialem vel incidentalem, auditis partibus vel Prom. Iustitiae vel Def. Vinculi, si opus sit, sol-

vere vel decreto, si levioris momenti, vel servata forma iudiciali si gravitas quaestionis hoc exigit.

3. Causa incidentalis, iudicialiter definienda, consideranda est veluti nova causa et hinc servari debent ea omnia quae in hisce regulis tradimus a libelli oblatione usque ad sententiae prolationem. Sententia vocatur interlocutoria.

Exemplum decreti causae incidentalis:

Incidentis super contumacia.

1. — *Coram notario F. in civitate X, d. 15 iunii a. 1916 instrumentum confectum est quo Can. Iunius, nomine Mensae Archiepiscopi civili titulo possidens, de mandato Rev.mi Archiepiscopi pro tempore pretio 70.000 fr. fundum quemdam D.nae Mariae vendidit, quae ob leges civiles contra congregationes religiosas latis, Sorores Instituti N. repraesentans, earum nomine fundum emit. Verum hodiernus Antistes, ratus venditionem illam vitio nullitatis laborare, utpote sine sollemnitatibus initam a iure canonico requisitis, nec non perfectam pretio aequo ac iusto minore cum gravi patrimonii dioecesanii praeiudicio, Curiae Promotori Fiscali, quem etiam Procuratorem suum instituerat, mandavit, ut in iudicium vocaret religiosarum Superiorissam una cum mandataria D.na Maria atque consensu dato, cum de bonis Mensae ageretur, controversiam ad Tribunal Collegiale dirimendam detulit.*

Processu igitur, Procuratore instante, rite inchoato, vadimonium stetit pro Superiorissa tum pro D.na Maria Adv. Iulius, qui exceptionem iam a conventis propositam contra dioecesanum Tribunal protulit. « Il a tout d'abord précisé que ce n'était pas les personnes qu'il récusait, mais le Tribunal diocésain lui-même, comme étant appelé à juger dans une question diocésaine, où il semblait intéressé ». Cum exceptio ista uti frivola et frustratoria per sententiam interlocutoriam diei 30 martii 1922 a., prouti non in Iudices sed in ipsum Tribunal Collegiale prolata, reiecta esset, Adv. Iulius ad Tribunal secundae instantiae provocavit.

Appellationem, uti fundamento destitutam, Iudex Tribunalis posthabuit qui ad ulteriora progredi pronuntiavit indixitque, ut die 20 aprilis de causae merito Adv. Iulius documenta produceret et testes proferret. Bis terque peremptorie ad hoc invitatus conventarum procurator nec documenta exhibuit, nec testes adduxit, sed coram Iudice die 13 maii sistens rogatusque: « Malgré que vous n'avez pas fourni

les noms des témoins ni déposé les documents, comme vous y avez été invité, sous peine de forclusion, par les deux lettres recommandées du 20 Avril et du 1^{er} Mai 1922, acceptez-vous la continuation du procès? » répondit: « Qu'il persistait à s'opposer à l'annulation de la vente du domain, mais qu'il maintenait formellement l'appel relevé par lui devant l'Officialité supérieure ». Iudex tunc eum monuit, quod si in deneganda documentorum productione persisteret: « mardi, 16 courant, à 10 heures, sera prononcée la clôture du procès ». Statuta die comparuit conventarum Procurator et Officiali semel atque iterum quaestionem proponenti: « Mr Jules renonce-t-il à son appel à la curie supérieure et accepte-t-il de soumettre l'affaire de la nullité de la vente du domain à la décision du Tribunal de X? » constanter respondit: « J'ai été convoqué Samedi dernier à la présente audience pour entendre le prononcé d'un jugement et je viens pour l'écouter ». Iudex, Promotori Fiscali accusanti et instanti, ut Adv. Julius contumax condemnaretur, eo quod appellationi renuntiare et causam de venditione Tribunali dioecetano subiicere nollet, adhaerens, contumaciam declaravit, ad ulteriora processit atque eadem die, post meridiem, sententiam definitivam dedit.

Adversus contumaciae decretum die 24 maii, scilicet tempore utili, Adv. Julius ad H. S. Tribunal provocavit, sed tantum die 11 iulii iudicem ad quem appellationem prosequiturus petiit. Iudicio tamen instaurato ac, prout par erat, Promotore Iustitiae vocato, dubia sequentia inter partes rite concordata sunt: I. An appellationem adversus decretum contumaciae diei 16 maii 1922 Sorores Instituti N., loci X, tempore utili prosequutae fuerint. Et quatenus affirmative II. An eadem appellatio admittenda sit.

2. — Appellatio ex can. 1881 interponi debet coram iudice a quo sententia prolata est intra decem dies a notitia publicationis sententiae; ex can. 1883 autem « prosequenda est coram iudice ad quem dirigitur intra mensem ab eius interpositione, nisi iudex a quo longius tempus ad eam prosequenda parti praestituerit », ita ut « inutiliter elapsis fatalibus appellatoriis sive coram iudice a quo, sive coram iudice ad quem, deserta censeatur appellatio » (can. 1886).

3. — In casu appellatio a decreto contumaciae die 16 maii lato praesente procuratore, tempore utili, nempe intra decendium, die 24 maii interposita fuerat coram iudice a quo, minime vero promota est coram iudice ad quem, cum conventarum Procurator, forsan iuris canonici ignarus, tantum die 11 Iulii S. R. Rotam petiisset. Neque iudex a quo prorogationem ultra mensem concesserat, quippe quae nec petita esset. In libello diei 11 Iulii Sororum Procurator insinuare videtur

frustra a se authenticum sententiae seu decreti exemplar petitum esse, acta tamen minime probant id factum intra tempus utile. Appellatio igitur deserta censenda est.

Hinc propositis dubiis definitive sententiamus respondentes ad primum: negative; ad secundum: provisum in primo.

Datum in sede tribunalis die 24 iulii 1930.

N. Actuarius

N. Ponens

N. Iudex

N. Iudex

CAPUT XXXIII.

DE IURAMENTO AESTIMATORIO

Can. 1833. — In deferendo iureiurando aestimatorio:

1^o Iudex a parte, quae damnum passa est, petat ut sub iurisiurandi sanctitate designet res sibi ablatas vel dolo perditas, earumque pretium et valorem secundum probabilem suam aestimationem exprimat;

2^o Si taxatio iudici nimia videatur, eam ad aequitatem reducat, prae oculis habens omnia indicia et argumenta usu comprobata, adhibitis etiam, si opus sit, peritis, quo magis veritati et iustitiae consulatur.

1. Iuramentum aestimatorium habet locum quando quaeritur aestimatio rei controversae, quando nempe aliquis ob vim vel dolum alterius (Cf. Sebastianelli, *De iud.*, n. 163) res suas amisit et quamvis iuridice constet de vi ac dolo, damni tamen illati quantitas non potest determinari ob defectum probationum. Proinde ille qui damnum passus est debet iudici exhibere notulam rerum amissarum et earundem valorem indicare. Si iudex viderit ex adiunctis et secundum communem aestimationem iustum valorem, iuramentum ei defert, ac iuramento praestito, reus super eodem valore et quantitate condemnabitur. Si vero iudicaverit nimium fuisse valorem, illum minuet et super quantitate a iudice taxata, pars laesa iuramentum praestare debet, vel recusare iuramentum et appellationem interponere a gravamine sibi a iudice illato.